



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 137. An aliquando liceat mutuanti accipere aliquid supra sortem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

detur velle Christus Luc. 6. v. 34., Si mutuum deritis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipientia equalia. Neque de casis, id esse puri consilii, nam v. 35. subdit, verum tamen diligite inimicos vestros, benefacite & mutuum date nihil inde sperantes, est autem præceptum diligendi inimicos & beneficium præstandi proximo, secundum dictam 2. n. 182. & à n. 200., Christus autem similiter loquitur de gratis mutuando: & quidem verbis illis Christi contineri præceptum prohibens usuras docent AA communiter cum Sal. Lugo & aliis: atque ideo Urb. III. & Leo X. apud Moy. t. 1. t. 6. d. 6. q. ult. n. 13. ex eodem loco usuras damnant, estque hoc accommodatum præsentis misericordiæ proximi, cui in necessitate gravi facilius erit petere mutuum quam eleemosynam: Hinc cum Vasq. & aliis contra Bonac. in Dec. d. 3. q. 4. p. 6. n. 16. dicendum est, quando ex præcepto Charitatis obligor dare mutuum, me non posse ob lucrum cessans aliquid accipere supra sortem, quia licet ex justitia non teneat mutuare, tamen absolute teneat sub peccato, ergo in conscientia non potero petere lucrum ab hoc mutuatorio. An autem obliger proximo extremè indigenti donare vel sufficiat dare mutuum, dictum est l. 2. n. 207.

850 Q. 137. An aliquando liceat mutuanti, accipere aliquid supra sortem. R. Aliqui absolute negant. Quia Christus Luc. 6. id improbat. 2. Quia Cap. Quod autem, & seqq. 14. q. 3. dicitur, Si plus quam dedisti, expectes accipere, fœnatores: Quidquid supra datum exigitur, usura est: Quidquid sorti accedit, usura est: Quidquid ultra sortem exigitur,

usura

sura est &c. Sed communis sententia est licere aliquid accipere , si accedat justus aliquis titulus , & constabit ex dicendis ; Unde Christus , & citatae leges aliæque similes , aut etiam SS: PP: similia dicentes tantum loquuntur de eo , quod per se est , & quando aliquid acciperetur ratione mutui , non autem si per accidens aliunde accederet justus titulus .

Q. 138. Quid notandum sit circa titulum accipiendi aliquid ob periculum sortis. Re. Seqq: §. 1. Hunc titulum esse justum , docent ferè omnes contra paucos apud Dian. p. 1. t. 8. R. 37. Et id verum esse , quando esset periculum tantum probabile amittendæ sortis , tenent Silv. Serra , Moya suprà à n. 2. aliquique cum Castrop: d. 4. p. 17. n. 3. Ratio est , quia hic & nunc non obligor mutuare , utl suppono , nam dare mutuum non semper tenetur homo , inquit , S: Th: 2:2:q:78:a:1:ad 3.. ergo nec obligor subire illud periculum , illud autem subire est pretio æstimabile , utl certum est , & manifestè ostendit ex jure & Authoribus Covarr: l. 3. variarum c: 2: n: 5.. ergo si subeam in favorem mutuatarii , possum ideo accipere aliquid .

Objicies. Periculum sortis est aliquid intrinsecum mutuo , ergo non potest vendi à mutuantे , sicuti qui mutuat alteri equum , non potest ei vendere celeritatem equi , quia hæc celeritas est aliquid ipsius equi mutuati , cuius dominium acquirit mutuatarius . 2. Quod exigitur pro periculo sortis , etiam est expositum periculo , ergo licet in infinitum plūs & plūs exigere ratione periculi . 3. Petendo aliquid propter periculum , augetur periculum , quia quod plūs debet , tantò majus erit periculum , ne non satisfaciat , ergo **injustè**